



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Benedictio Cubiculi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

rum eius liberetur. Per Dominum, &c.
Resp. Amen.

Postea aspergat Aqua benedicta.

Benedictio CUBICULI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

Benedic, Domine Deus omnipotens, locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque & eius habitatores custodiant & defendant contra omnes insidias inimici; & si quæ aduersa & contraria sunt ab eo in hoc loco machinata & fabricata, auctoritate maiestatis tuæ expellant. Per Dominum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & benedic locum istum dextera tua sancta, & omnes qui in eo commorantur; illumque visitare, & inhabitantibus gratiam sanitatis impertiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo & domui

308 MANVALIS EXORCISMORVM
in quo exceptus fuit hospitio Propheta Eli-
seus ; & sicut visitaſti & ſanaſti ſocrum Pe-
tri. Mitte Dñe ſanctum Angelum tuum de
cælis, qui liberet & defendat hunc locum ab
imminentibus malis cum omnibus qui in
eo commorantur , nullaque eos nequitia
contrariæ poteſtatis infeſtet, ſed virtute Spi-
ritus ſancti fiat hîc tibi debitum & deuota
libertate ſecurum ſeruitium. Per Dominum
noſtrum, &c. *Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat Aqua benediſta.

Benedictio I G N I S quo cremabun-
tur ſigna malefica inuenta.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine
Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum. *Reſp.* Et cum ſpi-
ritu tuo. Oremus.

Domine Deus omnipotens , cui aſſiſtit
exercitus Angelorum cum tremore,
quorum ſeruitium ſpirituale & igneum eſſe
cognoſcitur , dignare reſpicere , bene-
dicere & ſanctificare hanc creaturam ignis, ut
eo combuſtis maleficij ſignis , omnes lan-
guores, omneſque infirmitates atque inſi-
diæ inimici effugiant & ſeparentur à pla-
ſmate tuo. Numquam lædatur à morſu an-
ticipi ſerpentis, quod pretioſo Sanguine Filij
tui